



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de ea parte Astrologiæ, quæ de Syderum effectibus in natura inferiore disputat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO DE DIGNITATE A
strologie, dicta in promotione Magistro-
rum, à Iacobo Milichio, Anno
M. D. XXXV.



Optimè institutum est, ut in
his spectaculis, de dignitate
artium, & de uirtutum lau-
de dicatur, quòd ea oratio
cùm ad formanda iudicia iu-
uentutis, tum ad accendenda
animos ad amorem ho-
narum rerum, magnam uim habet. Etsi autè pro-
cipuè solet ad iuuentutis utilitatem hoc loco
commodari oratio, tamen ne ceteris quidem ho-
lum acroama est iucundius, quàm artium & uir-
tutum encomia, quas ut quisq; intelligit, ita uolun-
tatisimè admiratur. Quare etsi oratio nos-
træ aptior futura erat iuuentuti, tamen ne uobis quæ-
dè ingrati fore confido, quorum cùm maior
eruditio & prudentia, eò magis delectari uos cogi-
tatione ipsa artium arbitror. Dicam autem de
ea parte Astrologiæ, quæ de syderum effectibus in
natura inferiore disputat. Idq; argumentum
sumpsi libentius, quia mihi non in turba imperi-
torum, sed apud homines doctos, & Philosopho-
deditos, dicendum esse intelligebam,

Ut autem Græci Rhetores summa prudentia
 in definitione artis, dixerunt artem non solum ^{Definitio artis}
 oportere ueram noticiam esse, sed addiderunt eti-
 am oportere utilem ad uitam esse: Ita ego utrun-
 que disputabo, & ueram esse doctrinam de coele-
 stibus effectibus, & magnas ad uitam utilitates
 asserere. Atq; hic principio à uobis peto, quod
 aquisimum est, ne conferatis in artem errata ar-
 tificum, qua de re longius mihi dicendum esset, ni-
 si apud eruditissimos homines haberetur oratio.
 Sed aliud est crimen, quod etiam apud doctos de-
 trahit fidem arti, quod uidelicet, in hac infinita ca-
^{Ars nō omnia}
^{præuidet.}
 suam humanorum uarietate, ars ipsa non præui-
 det omnia. Negant igitur homines acuti artem,
 hoc est, uniuersalem & perpetuam doctrinam ex-
 cipere posse, ex particularibus paucorum euen-
 tuum observationibus, quasi uerò aut Medicina
 morbos euret omnes, aut politica sapiētia omnes
 Rerum pub. tempestates prospicere, & mederi o-
 mnibus incommodis possit. Et tamen conceden-
 dum est, multa utriusq; artis uera, & firma præ-
 cepta esse, & ad uitam utilia. Ita sunt huius diui-
 naticis ueræ quedam, & perpetua significati-
 ones, pauciores fortasse, nihil enim dissimulo,
 quam Medicorum: nam hæc ars uersatur in rebus
 procul positis à nostro conspectu. Et cum homi-

num temperamenta moresq; dijudicet, & uatinetur de futuris maximarum in uita rerum mutationibus, diuinitas quaedam esse uidetur. Quae etiam si non tam multae sunt huius artis demonstrationes, quam ceterarum leuiorum artium, tamen hoc magnitudini tribuatur. Et quidem eo maiore cura quantulumcunq; est huius artis, quod superi monstrarunt hominibus, conseruari debet, eo maiore studio intendenda mens est in huius significationes, quae cōpertae sunt, nam harum quoque maxima uis est, et multiplex in uita utilitas.

Y.
Magnitudo huius artis Astrologicae.

Quomodo haec
artem

Fauorinus.

Non solum inepti, sed etiam improbi sunt, qui falsis persuasionibus ornare, aut amplificare conantur. Ego ingenue profiteor, non omnium euentuum significationes compertas esse. Idem affirmo multas esse certas, minimaeque falsas significationes, quas si quis animaduertat, magnum ad regendam naturam, & plerumque fortunae impetus gubernandos, adminiculum habet. Extenuat hanc artem & Fauorinus apud Gellium, et dicit pauca quaedam prauideri $\pi\alpha\chi\upsilon\mu\epsilon\gamma\acute{\epsilon}\sigma\epsilon\gamma\omicron\upsilon$, non solum non repugno, sed etiam plausum do, quod ait $\pi\alpha\chi\upsilon\mu\epsilon\gamma\acute{\epsilon}\sigma\epsilon\gamma\omicron\upsilon$, amplissimo praecipio ornauit artem, siquidem quaedam in natura aut moribus praecipue animaduerti posse inquit: At ex his homines sagaces plerumque

ma postea iudicant. Videtis in moribus quam multa coniciantur ex uno aliquo gestu, aut cachinno. Ita cum certa nota quarundam precipuarum rerum sint impressæ naturæ, multe ex his postea coniectura sumuntur. Fortassis autem non esset ars ducenda Astrologia, si tantum constaret coniecturis: Nam ars est eorum, quæ non fallunt. Verum hæc ipsa ars, ut medicina et politica, primum certis observationibus constat, postea ex his multe oriuntur coniecturæ. Vidit Astrologus in genesi Catilinæ diros positus atq; aspectus Planetarum, qui significabant animi crudelitatem, audaciam, præpostros mores, inquieta & infœlicia consilia. Fac non potuisse certo prædicere, Catilinam Cicerone Cõsule moturum esse seditionem, deinde futurum, ut in acie in Apennini radicibus interficeretur: At animaduersis illis infaustis significationibus, quæ quidem sunt certæ, cõjcerere potuit, futurum ciuem turbulentum, seditiosum, & uitæ futurum exitum tragicum. Ita insignia quedam in temperamentis lic moribus $\omega\alpha\chi\upsilon\mu\epsilon\pi\epsilon\sigma\epsilon\gamma\omicron\pi\iota\upsilon$ dicari possunt, quæ non fallunt. Non igitur eò assernanda est hæc ars, quia non omnia præuidet. Quam pauca certa sunt in cæteris optimis artibus, & ut iam nõ de Medicina, aut de politica dicamus: Num ideo tota doctrina de Meteoris uituperanda

Genesis Catilinæ.

Artis initium certum.

peranda est, quia paucas habet demonstrationes, postea plurima conficit coniecturis. In ipsa agricultura quam sepe fallimur, num ideo non colendi agri? Quin potius utamur artium beneficijs, & consideremus quousq; humana mens progredi possit. Me quidem non solum utilitas in artibus delectat, quam in medendo, & in alijs rebus animaduerto, sed multo magis hoc, quod cum hunc mirificum consensum corporum celestium, & inferiorum contemplor, ipse me ordo & harmonia admonet, mundum non casu ferri, sed rebus diuinitus. Hæc respondere uolui ad uulgare conuictum, priusquam de arte dicerem.

Astrologia
pars Physica.

Est autem initiò ueluti definitio quedam constituenda Astrologia, ut eam a superstitiosis diuinationibus, quas Ptolomæus ἀνατιολογίαν vocat, separemus. Astrologia pars est Physica, quæ docet quos effectus astrorum lumen in elementis, & mixtis corporibus habeat, qualia temperamenta, quas alterationes, quas inclinationes pariat. Et quia inclinationibus sepe morum studia, consilia, casus respondent, ut ille inquit:

Nature sequitur semina quisq; sua.

Ideo horum quoq; significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sydera habere aliquos effectus

fectus, planè concedendum erit, hanc artem esse
 Physices partem, perinde ut prædictiones Medi-
 corum: Nec ego nunc de hac parte prolixè dispu-
 tabo, sed unum Galeni oraculum in hac causa re-
 citabo, qui non solum reprehendit, sed etiam gra-
 uiter obiurgat illos, qui negant inferiora cor-
 pora affici à lumine cœlesti, & inquit: Sophisti-
 cum esse, negare manifestam experientiam. Ergo
 & fatetur se experientia uictum, tribuere ma-
 gnam uim lumini in inferioribus corporibus, &
 eos, qui dissentiunt, sæuerissimè taxat. An dubi-
 um est uices a stans atq; hyemis effici solis accesa
 su et discessu, Solis lumen calefacere et desiccare,
 Lunam humectare? Hæc si manifesta & perpe-
 tua sunt in his duobus clarissimis syderibus, cur
 cetera putemus frustra condita esse? Iam perpe-
 tua experientia testatur, insignes coniunctiones
 habere insignes effectus, idq; in tempestatibus
 palam apparet. Vidistis concursum Planetarum
 in humido signo anno uicesimo quarto, intumue-
 runt ubiq; omnes aquæ, humida tempestates to-
 tius biennij fuerunt. Hac æstate pluuias crebrio-
 res omnium opinione, & insalubres tempesta-
 tum uariationes attulerunt, Iupiter in piscibus,
 Mars in Tauro. Possẽm alia multa exempla re-
 citare, si temporis angustia non prohiberet.

Nec

Galeni oracu-
 lum et experis-
 entia.

Concursus Pla-
 netarum Anno
 XXIII.

Nec nerò dubium est, ut Solis et Luna, ita ceterorum Planetarum lumen uariare tempestates & aërem, & corpora nostra afficere. Res ipsa loquitur in herbis, in metallis, deniq; in contrariis rebus maximam uim esse, & iure laudatur illud ueteris Poëtae:

ὅτι καὶ τὸ μαλάχην καὶ ἀσφοδ' ἔλεγε μέγα ὄνειαρον.

Quod cum ita sit, cur putemus frustra cõlita esse illa pulcherrima lumina, cū quidem nulla sit natura præstantior, aut efficacior lumine. Quin ipsæ leges motuum, nonne significant temperantiam lumen solis & lune, ceterorum Planetarum effectum? Mercurius et Venus nunquam procul a sole discedunt. Superiores Planetae ita discedunt, ut lumen in epicyclis ad medium apogeon cum Sole

Hippocrates.

semper congruant. Postremò et Hippocrates testatur tempestates excitari & uariari uisystema. Et dissimilitudinẽ non solum regionum, sed etiam ingeniorum ac morum in diuersis regionibus dicitur oriri à cœlestibus causis. Hæc cum sint certa, constat artis initium uerum ac certum esse, uelut ceteris, quod lumen cœlestis magnam uim habeat elementis, & mixtis temperandis & alterandis. Deinde et hoc manifesta temperantia testatur, in primis Planetarum dissimile esse: Saturni melancholicum, Iouis temperatum, Martis cholericum, Solis

inuiscū, Mercurij siccius, Veneris et Luna humi-
 dius. Et hec uarie posita miras mixturas efficiūt,
 ut cū in medicamētis uarie herba miscētur, in can-
 tu uoces. Hæc dixi breuius, nō solūm quod haben-
 da fuit ratio temporis, sed etiā quod uobis doctissi-
 mis hominibus satis probata esse arbitrabar. Ve-
 nio igitur ad alterā partē, uidelicet, ut de utilita-
 te dicā. Nec uerò existimo quēquam adeo super-
 sitiosum esse, ut neget in medēdo cōducere obser-
 nationē syderum. Cumq; de hac re, et præcepta ex-
 tit, et nota sit experiētia, nō ero longior. Quanto
 est autē illa maior utilitas, non solūm in agrotis
 corporibus, sed multò magis in Rebusp. conside-
 rare mutationum maximarū seu causas seu signi-
 ficationes, ut accommodare ad eas nostra consilia
 possimus, et arte mitigare incommoda. Verè enim
 inquit Plato, syderū circuitus efficere uarias ui-
 ces, nō solūm animantium corporibus, sed etiā u-
 niuersæ naturæ rerum, uitæ hominū, imperijs, &
 Rebuspub. Vt autē agricolis præcipitur, ut tem-
 pestatū signa obseruēt, ita magni uiri in Repub. *Agricolæ.*
 mutationum signa intelligere, et considerare de-
 bēt. Et quidem in scriptis poliiticis colliguntur si-
 gna sumpta à moribus et uolūtatibus, sicut Medi-
 ci morbos ex intemperātia, aut corruptione hu-
 morū prædicunt. Sed magno et sapienti uiro ma-
 gno.

2.

Vtile.

Agricolæ.

gnopere prodest, etiam hæc cœlestia signa ad
mauertere, ut regere aliquo modo fortunam
cauere seuas tempestates, uel certè mitigare possit.
Rectè enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunæ preparat omni.

Præuisumq; potest arte leuare malum.

Etenim si significationes illæ nõ sunt consideranda,
cur diuinitus in cœlo scriptæ & pictæ sunt.

Cum autem Deus has notas impresserit cœlo, ut
Rebus pub. denunciaret ingentes casus, impia
est, animos ab hac obseruatione prorsus auertit.

Dei oracula sy-
dera.

re. Eclipses, coniunctiones, prodigia, tractationes,
cometæ, quid sunt nisi Dei oracula, qui m-

tatur uita hominum ingentes calamitates ac-
tationes? Hæc si quis contemnit, Dei moniti-

spernatur. Quatenus autem hæc metui debeant
quantum omnino tribuendum sit cœlestibus

gnis, discet idem ille uir magnus ex sacris
ris, ne obrepat animo impia uel confidentia,

desperatio. Ut in agricultura, in nauigando,
est irreligiosum obseruare prognostica tem-

tum, ita in administratione rerum consideranda
naturales significationes, quas Deus proposuit

ut nos uigilantiores reddat, & curam in nos
acuat, pium & utile est. Sed uideamus priuati-

mores.

Si quis naturæ suæ inclinationem intelligit, ale
 ve bona & confirmare, & vitare vitia diligentia
 ac ratione potest. Verum est enim quod ait Ptole
 meus: Sapiens anima adiuuat cœlestem operatio=
 nem, quemadmodum optimus agricola arando ex
 purgandoq; adiuuat naturam. Hoc latè patet in
 cura ualitudinis, in deligendo genere uitæ, studij,
 insuscipiendis negocijs uel aptis uel abhorrenti=
 bus ab ingenio. Si Curionis aut Antonij parçtes
 satis intellexissent naturam filiorum, flectere sin=
 galari arte fera & inquieta ingenia ad modera=
 tionem potuissent. Philippum Macedonem acce=
 pimus Regem in primis callidum, cum animaduer=
 tisse: in filio Alexandro non sanè prauam, sed ta=
 men asperiores et impatientem imperij naturam
 esse, uideretq; cum non pati domitorem asperum,
 cepit consilium doctrina et Philosophia flectendi
 eum ad suauit atē et comitatem. Hac ratione adeò
 excoluit illam naturam, ut in ipso cursu uictoria=
 rum uix quisquā fuerit unquam humanior ac mo=
 deratior. Ita prodest uidere, quo quenquā ducat
 natura, ut disciplina idonea ad uirtutē flectatur,
 et à uitijs abducatur. Possent & alias utilitates
 æconomicas colligere, sed has persequi longū fue=
 rit. Vos igitur candidati, quia iā Philosophiæ uos
 publicæ addicistis, ut reliquas partes pro uirili am
 b plecti

Naturæ incli=
 nationis disci=
 plina reguntur

Philippus Ma=
 cedo.

plecti, excolere, & ornare debetis, ita memineris
 tus, hanc quoque partem amandam esse. Non solus
 stulticia, sed peruersitas est, aucupari ingenij
 dem ex insectatione bonarum artium. Nam ho-
 ros bonos decet præclaras artes & utiles
 pro uirili ornare, ut ad earum studia quam pluri-
 mi inuitentur. Dixi.

DE UTILITATE ARITHMETI-
 ces, Oratio.



Vxi uobis initio exponendam
 se causam, quare publice docere
 cipiam, ne quis existimet me
 consilio impudenter in hoc
 trum prodire. Ego enim cum et natura sim
 dior, & has artes maxime colam, quæ amant
 tebras, nec merentur plausus in uulgo, deinde
 uideam, quanta sit non solum scientiæ copia,
 etiam dexteritate, et felicitate ingenij opus,
 fertim in his subtilibus artibus tradendis,
 uero conscius sim meæ imbecillitatis, non ambigam
 hunc locum, diuque repugnaui præceptoribus
 stris, hortantibus, ut elementa harum artium,
 quibus me mediocriter exercui, publice tradere
 præsertim hoc tempore, cum altera Mathematica